

De Vesuvio academicae quaestiones in publicis academiae Genevensibus solemnibus a Ioh. Jallabert, [...]

Autor(en): **Jallabert, J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 23

PDF erstellt am: **13.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394702>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

De
VESUVIO
ACADEMICÆ QUÆSTIONES

in publicis Academiae Genevensibus Solemnibus

a

JOH. JALLABERT,

Phil. & Math. Professore,

discussæ.

Die VIII. Junii Anno MDCCLI.

Quæstionem de Vesuvio moves, Doct. Ju-
 venis curiosam & opportunam, cum ocu-
 los omnium tenent tot egregia rerum an-
 tiquissimarum monumenta ab ævo Titi
 Vesuviano cinere & terris ambustis seu liquefactis
 cooperta, quæ nuper, immo & singulis diebus in
 lucem proferuntur. Verum ista, quorum de-
 scriptio amœnitatis plena foret, in Academicis
 hisce Comitibus, in quibus tam multæ tamque
 variæ sunt dicentium provinciæ, fuscæ, ut par es-
 set, persequi non licet. Itaque ut tibi faciam sa-
 tis, descripto paucis monte Vesuvio, præcipua
 argumenta, quibus Viri diversarum gentium Aca-
 demici statuunt hunc montem ante Titi memori-
 am, ignes saxaque liquefacta evomuisse, expen-
 dam: Secundo Vesuvium hodiernum cum prisco
 comparans, & utriusque molem æstimans, mon-

tem illum ampliandis non modo radicibus, sed & obtegendis ad requisitam altitudinem circumjacentibus campis parem fuisse, vincere conabor.

Asurgit Mons Vesuvius ad oram Neapolitani sinus, eminens in aperta planitie. Solitarius est, & ab aliis montibus sat magno intervallo diremtus, singulari continuaque orbita contentus, circuitu 25. fere millium cannarum Neapolitanarum, senis pedibus Gallicis propemodum æquipollentium. Basis proinde diameter est circiter octo millium: Ex suæ altitudinis fere medio mons ille in duos vertices secedit, uni communique basi inhærentes, intermedia valle *Atria* dicta, unde scinditur mons, ac bifurcus attollitur. Vertex borealis, [nunc Mons *Summa* vocatus] altior est mari cannas septingentas & viginti: australis vero sexcentas & octoginta sex. Horum juga distant inter se cannis circiter trecentis & quadraginta; inferius autem, ubi valle *Atria* dirimuntur, centum & quinquaginta. Hæc itaque vallis, cujus solum dimidiam obtinet montis altitudinem, manet alta Cannas fere tercentenas & sexaginta. Borealis jugi facies interior, qua vallem spectat, prærupta est, exesis ambustisque veteri conflagratione rupibus horrens, atque in orbem semi circulo, seu dimidia parte jam minutum inflexa alterum ambit verticem ignium fomitem ac emissorem, in semi circuli centro positum; meram lapidum cinerisque compagem, nec nativam primitus, sed vi subinde erumpente factam, scilicet in conii speciem, qualis est si parva magnis conferantur, terræ a talpis egestæ tumor, vel arena-
rum sponte declivium fastigiata in metam conge-
ries.

ries. Quare *Novi Montis* nomine a *Summa* distinguitur hic vertex, cujus quidem barathrum conum inversum refert, seu vitreum poculum 84. Cannas altum; hujus fundus, fere circularis 50. est latus, os vero supernum 350., ut ejus centrum totius montanæ basis centro satis respondeat. Sic omnia ex Actis Academiæ Neapolitanæ, post annum 1737.

Primævi montis in metam surgentis unicus erat vertex, non minus amœnus quam fructuosus, ut patet ex eleganti apud MARTIALEM carmine, qui cum Titi tempore vixisset, vidit virentem & atrum deinde ex favillis montem. (a)

Hic est pampineis viridis modo Vesuvius umbris &c.

De hoc incendio, atque montis tristi immutatione præclare quoque SILIUS ITALICUS, STATIUS, & VALERIUS FLACCUS, qui sub Vespasianis florere.

Planus STRABONI visus vertex, mox eruptione sub Tito factus est in medio concavus, & multo magis etiam excavatus sequentibus incendiis, ut ævo Dionis atque etiam Procopii ad amphitheatri formam quam maxime accederet, ignibus ex ejus medio seu centro erumpentibus. Nec vero ulla est memoria geminati verticis ante maximam anni 1631. cladem, quæ faciem vertisse montis videtur. Etsi autem tantum mutatus ab

C c 3

illo

(a) Lib. IV. 44.

illo Strabonis, oculis tamen sese offert imago mutili tanquam Amphitheatri, borealium scilicet rupium semi-circularis circa novum verticem præcinctio, tum etiam residuus ad Austrum circumductionis apex, in quam certe partem, ut in occiduam, nunc proniores esse igniti torrentes solent; nec mirum adeo si hæc plaga depasta magis ac deleta fuerit, ubi si terram fodias, obvia sunt eorum passim vestigia seu strata alia aliis superinducta. Qua rerum mutatione depressior licet indies focus seu fomes fiat, omnia tamen eo situ & aspectu manent, ut ignivomi fictique in conum verticis idem sit axis ac totius nativi montis, fere transiens per centra simul hodiernæ voraginis & veteris Amphitheatri, cujus e medio dudum ignis erupit, materiis circum circa in planitiem rejectis, partim denique cineritium in medio verticem seu tumulum semel aut per vices efformantibus. Minuitur jam hic vertex, cujus in imo gurgite, recens ecce anno 1748. *καταρσις* caminus asurgit, eundem quasi secuturus axem habens, atque ita probabili ratione deinceps, quamdiu subjectis ignibus alimentum erit.

Quæ cum ita sint, si contigerunt ante Titum eruptiones Vesuvii, quæ ut Celeb. Academici (b) volunt, nec vi nec numero cedant iis, quæ Titi tempora fuerunt consecutæ; qui fieri potuit, cum recentiora incendia hunc montem adeo fractum & depa-

(b) Voiez Mem. de l'Acad. des inscriptions T. IX. des embrasemens du mont Vesuve, Lettres sur l'etat actuel de la ville Souveraine d'Heraclee 1751. &c.

depastum fecerint, ut præcedentibus nec scissus nec deformatus fuerit? Cur Plinius Secundus, cur Strabo, alique nullos describunt crateres & fauces, qui cinerem & ignitos saxorum rivos præteritis Sæculis effuderint? Integer enim adhuc erat Strabonis ætate, nativa facie formaque Vesuvius, ignem licet intus fovens, calidisque aquis ac pumicum genere sic monstrans, ut eundem nihilominus aspectum servaret, nondum subita ruina disruptus, aut deformatus igneis torrentibus. Nullum ergo ante Strabonem stratum, omne est a secutis incendiis; illius verba πλὴν τῆς κορυφῆς, quæ nonnulli vertunt *demto vertice*, quasi per vim de montis vertice sustulissent antiquissimæ incensiones, nil aliud sonant, nisi *præter verticem*, adeo ut hic tantummodo significaverit Strabo, *Vesuvium agris cinctum esse, & optimum, præter verticem, qui magna sua parte planus totus sterilis erat.*

At ad Austrum, inquit, & uno a mari milliari, cum effoderetur ad aquam puteus ultra 70. pedes altus, visa fuerunt terræ ambustæ quinque ex intervallo strata, quorum secundo nonnullæ subjacebant Inscriptiones de Pompeiis urbe, cinere & Vesuvianis torrentibus Tito regnante coperta, unde inferunt ibidem pristinas Pompeiorum sedes fuisse, strataque inferiora ante Titum formata fuisse; atque ex eorum cum superioribus comparatione colligunt hunc Vulcanum jam Noachi temporibus, imo, si credere fas est, ante Sæculum ad quod vulgo mundi Creatio refertur, ignes liquefactaque saxa sub auras glomerasse. Verum, nedum istæ inscriptiones figendæ Noachici Diluvii epochæ, vel ætati mundi, præter id quod

Sacri Codices docent, producendæ inservire possint, antiquum Pompeiorum situm nequaquam definire mihi videntur. Etenim ejusmodi monumenta e terra jam olim erui, & altius tolli poterunt. Ita, verbi gratia, Inscriptiones Herculaneum memorantes ad minimam profunditatem ubi hodie la Torre del Greco repertas fuisse, auctor est CAPACCIO.

Nec eo loco sitos fuisse Pompeios satis constabit, si attendas hanc urbem Herculaneo nobiliorē & celebriorem fuisse. M. T. CICERO in Oratione de LEGE AGRARIA præcipuas urbes Campaniæ commemorans, semper Pompeiorum, nunquam Herculanei meminit. Priorem Strabo, Seneca, Dionysius urbem celebrem, posteriorem vero oppidum tantummodo appellant. Pompeiis etiam, teste Vitruvio, fuit Capitolium statuis exquisitis exornatum, unde conjicere est plura in ea urbe templa, aliaque bene multa firmissima fuisse ædificia. Qui potuit igitur fieri, ut eodem loco in quo de Pompeiis inventæ fuerunt Inscriptiones, ibidem nulla ruderum vestigia appareant, ut in excavationibus sub villa Portici factis. Quis tot tantasque moles alio abduxit?

Quamvis Geographi personam inducere nequaquam animus mihi sit, si Pompeiorum sedes definire vellem, Tabulæ Theodosianæ Pompeios, Oplontis aquas, & Stabias in triangulo æquilatèro, cujus latus est trium milliarium, statuenti, libentius adsentirer; adeoque & ab aquis Oplontis Stabias, & ab illis aquis & ut & a Stabiis Pompeios tribus milliaribus distitos fuisse. Hinc char-

ta Theodosiana apud ipsam Sarni ripam Pompeios collocat haud secus ac Statius.

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.

Et disertius Strabo, *Pompeios adluit Sarnus*, sitos nempe duobus passuum millibus a mari, eo in loco ubi nunc extant rudera nomine *Civita*. Cui quidem sententiæ CAM. PELEGRINO, CLUVERIUS, nec non LUCAS HOLSTENIUS in suis ad Cluverium notis, subscripsere. Cæterum notandum est maritimis Pompeios urbem annumerari potuisse, ob ejus portum in ostio fluminis, ex quo naves vel scaphæ ad Pompeios usque adverso flumine revehebantur.

Tandem gratis omnino ponunt inter maxima Vesuvii incendia certum ac definitum annorum periodum intercedere. Imo, varios si expendas Historicos qui de Vesuvio scripserunt, crebras ac ingentes conflagrationes a Titi memoria ad nostram usque ætatem passim perspicias, atque ex hujus montis apice igneos saxorum liquefactorum rivos, quos *Lavam* appellant, ad mare identidem fuisse devolutos. Satin' id tibi non placet, infimum terræ ambustæ stratum 12. palmorum tofacco impositum conjicere potes ab igne, terræ motus, simul & Pompeianæ sub Nerone cladis causa, profectum, qui mox ignis, exitum diu quærens, rupto monte, viam sibi fecit; nec amplius terra, uti solebat, motu quassata est.

Instant Viri Celeberrimi, & objiciunt Saxea illa strata, alia aliis per intervalla superinducta, quæ ad plagam septemtrionalem montis Summæ de-

prehenderunt Sanctæ Mariæ Dominicanæ: Luculenta, ut ajunt, indicia vetustissimarum eructationum, cum ob ipsorum altitudinem, tum quod ibi fluere nequeant Saxorum liquefactorum rivi, ob vallem Atria, quæ meridionalem montis verticem a septentrionali dissociat. Verum ea difficultas ex supradictis nullo negotio solvitur. Nam cum compertum sit, tempore Procopii, id est Justiniani majoris, Vesuvium unico vertice fuisse instructum; imo cum omnino sit verisimile in bina cacumina montem fuisse distractum tantummodo anno 1631., quo Vesuvium insignes mutationes subisse, atque ex septem novis crateribus detonuisse tradunt Historici, per tempus sat longum post Titum igneis torrentibus versus montis Summæ boream defluendi ea facultas fuit data. Nec adeo mirum si in ipsis radicibus terra a vertice devoluta ad 37. cannas extuberet, potissimum si in locum effossum, quondam humillimum, Vesuviani torrentes per declive dorsum in subjectam vallem provoluti, & in plures ramos, pro locorum situ & opportunitate diffusi, facilius sese exonerarunt.

Id nunc expediendum superest, ut scilicet mensuras colligam totius materiæ quam Vesuvius in planitiem egressit, nec non quæ fuerit a Strabonis ævo montis imminutio. Positis ergo montanæ orbitæ radio Cannarum quater mille, stratorum extensione si velis mille, & altitudine decem, quæ est propemodum altitudo materiæ prisco Herculani solo superstratæ, erit incrementi totius quantitas ducentarum & octoginta millionum Cannarum cubicarum, eadem fere si protensis ad bis mille

mille Cannas, pauloque inclinatis stratis sensim altitudo minuatur: Unde si talis quantitas materiæ egestæ circiter adæquet Vesuvii vacuitatem, non est quod dicamus montem ante Titum erupisse, vel quod eodem recidit, alia jacere strata sub ipso Herculani solo. Vix autem major esse quantitas potest, siquidem a parte boreali & orientali dudum materia fluere cessavit; Australem vero & occidentalem nunc ut olim frequentat. Quin etiam in his partibus non æque omne solum attollitur, nec Vesuvio pariter obnoxium est ac Herculansense vel Pompeianum, unde mensuræ modulus petitur. Pendet enim a vento directio cineris pumicumve, fluentis vero materiæ sic a declivitate, ut ex innumeris plagis una tantummodo trajiciatur: Eructatio anni 1737. post illas Titi & anni 1631. cineris fluentisque materiæ copiosissima, vix planitiem palmis quinque auxit, qui circumquaque dicto modo distributi decimam sextam partem quantitatis definitæ conficiunt. A Tito quidem numerantur eruptiones 26., sed quarum pleræque nullum stratum reliquerunt.

Tantumdem jacet materiæ stratae, quantum ejecta a monte fuit, seu quantum in ipso vacui patet, cujus vacui mensura dabitur, si forma naturalis ad geometricam proxime similem & æqualem reducatur. Animo itaque finge antiqui Vesuvii partem interiorem instar cylindri partim vacui, Amphitheatrum Vesuvianum quale Dionis & Procopii ætate fuit, diametro & altitudine æquantis, id quod a vero parum abesse videtur; hujus cylindri diametro & altitudine datis, capacitatem trecentorum septuaginta & amplius millionum
Can.

Cannarum levi computatione deprehendes. Jam vero oris & fundi voraginis diametro ejusque altitudine cognitis, quot Cannarum cubicarum fit capax gurges compertum habebis; quibus de austrino vertice cono item truncato simili demtis, cujus verticis dimensiones supra retulimus de ignivomi Vesuvii soliditate, nimirum septuaginta & quinque millionum fere cannarum cubicarum constabit. Quas rursus si tollas de jam dicto cylindro, erit cylindri vacuitas vel ejecta materia circiter trecentorum millionum Cannarum cubicarum, satis, ut vides, pro quantitate planitie substrata; maxime si densior olim intra montem, nunc cinis extra seu pumex plus occupat spatii. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, ingentes amplasque cavernas sub Vesuvio adjacentibusque locis passim occurrere, concedetur profecto ultra bis mille Cannas strata extendi posse.

T A N T U M.

IN.